

« quæ sola in universa Dei Ecclesia, quæ
« sub cælo est, sine controversia admittun-
« tur. » Parvine momenti videtur vobis ad
« *adveritatem* » evangelicam confirmandam, unifor-
« mis Ecclesiæ in omnem terram, terrarum-
« que fines se protendentis consensus? Fac
« porro inquiras, undenam tot gentium mori-
« bus, eloquio, imperio dissitarum, tam sim-
« plex et uniusmodi orta consensus sit? Id
« unum singuli et universi Ecclesiarum pa-
« stores responsi dabunt, se codicem illum,
« Evangelia scilicet recensita quatuor conti-
« nentem, a decessoribus accepisse suis: hos
« vero si interrogas, majorum suorum fidem
« implorantes audies. Institutaque veluti ana-
« lysi successionis episcoporum, devenies
« tandem ad apostolorum discipulos, ipsosque
« *θεολογους* scriptores: e quorum manibus
« sacra illa prodiisse volumina intelliges; ac
« veluti e centro per orbem sparsa, in varias
« quidem translata linguas, iisdem tamen sen-
« tentiis, ac sententiarum apicibus custoditis,
« ad Origeniana tempora, atque hinc ad seros
« usque nepotes transmissa fuisse cognosces.
« Quid hoc testimonio firmiter; quid hæc tanta
« consensione ad rem qua de agimus patefaci-
« endam optari potest illustrius?

« Verum quod ad veritatem, divinitatem-
« que evangelici codicis mirifice confirman-
« dam accedit, altera illa ratio est, ob quam
« Ecclesia universa ipsum sine controversia
« suscepit: omnimoda videlicet, atque arctis-
« sima hujus codicis congruentia cum dogma-
« tibus rebusque gestis, quas ex ore aposto-
« lorum exceptas fide summa Ecclesia ipsa
« servabat. *Insonabat* adhuc, ut Patrum phrasi
« utar, secundo et tertio sæculo in auribus
« Christianorum Apostolica prædicatio; ex-
« stabant ipsorum cathedræ; litteræ autogra-
« phæ legebantur « sonantes vocem (ait Ter-
« tullianus), et representantes faciem unius-
« cujusque. » Tum vero quæ sacri illi
« præcones de Servatoris ortu, gestis, miris,
« resurrectione, atque sacramentorum insti-
« tutione tradiderant, hæc docebantur a pa-
« storibus, discebantur a populo; festorumque
« celebratione et actione mysteriorum, velut
« monumentis certissimis, recolebantur. Quo-
« niam igitur his omnibus, singulisque re-
« spondebat adamussim vulgatus codex, et
« quod ab initio enuntiatum voce fuerat, hic
« representatum litteris exhibebat: quidni
« Ecclesia universa pretiosum volumen illud,
« tam constanti Patrum traditione transmis-
« sum, tanta gentium consensione receptum,
« tanta dogmatum integritate et congruentia
« suffultum, veluti genuinum apostolorum
« fetum, ipsumque Dei Verbum susciperet et
« adoraret?

« Quod de pseudo-evangeliiis apocryphis-
« quæ libris, quæis primo et altero Ecclesiæ
« sæculo Christianam rempublicam obrutam
« fuisse prædicat (Freretus), hoc, pace illius
« dixerim, ineptissimum est, ac Evangelii
« fidem, quin elevet, mirum quantum confir-
« mat. Ineptissimum, inquam, est: quis enim
« adeo desipiat, ut quia olim *falsarii* quidam,
« ut eos appellat Suetonius, aut publicas cor-
« rupte tabulas, aut falsa vulgare numi-

smata; nec de universa re diplomatica,
aut numismatica *actum prorsum esse*, nec
veros nobis superesse nummos aut diplo-
mata certa contendat? Qui sic censerent,
satisne sani forent, an delirarent? Plus an-
de et alio, aliorum librorum *veritas* confir-
mare nostri codicis fidem ac veritatem.
Enimvero ubi inter tot, quæ vagabantur olim
pseudo-evangelica commentaria, quatuor illa
tantum notissima, Ecclesia omni memoria
et sine controversia recepit: hoc plane de-
monstrat, ipsam non leviter, non temere, sed
« *ἀκριβῆς*, accuratissima scilicet diligentia novi
« fœderis canonem condidisse: eosque velut
« divinitus inspiratos excepisse libros, quo-
« rum certa erat, ab apostolorum ævo traditio,
« et explorata cum apostolorum prædicatione
« consensio.

« Instat nihilominus censor Gallus, et
« urget, plures ex his, qui apostolorum ævo
« florere viros, Cerinthum, Ebionem, Basili-
« dem, Alogos, Theodotianos, contraria prorsus
« Evangelii nostris sive dogmata, sive
« rerum gestarum historias tradidisse. . . .
« At quid inde exculpatis? Num præ istis post-
« habendos evangelistas?

O ratio humanæ mentis, quam cæca superbis!

Quibusnam argumentis, amabo te, doctores
isti, quos laudas, suam e cælo missionem
demonstraverunt? Quibus signis sententiis
suis conciliaverunt fidem? Num, quemadmo-
dum ab apostolis factum novimus, edidere
mira, fudere oracula, pertulere discrimina?
Num ethicæ sanctitate, morum innocentia,
sanguinis effusione orbem plane universum
in sui admirationem, doctrinæque ab se
enuntiatæ fidem pertraxerunt? Scilicet nebu-
lones, mendaces, intemperantes, impuri;
quorum Deus venter erat, doctrina libido,
sectatores scorta, catecheses *πυθολογία*:
quos, ut vidit mundus, exhorruit; ut audire
Patres, damnarunt; ut novit Ecclesia, diris
devovit; quorum denique vix sola nomina
cum æterno conjuncta dedecore perennarunt.

« Labet mihi potius orationem iterum
parumper convertere ad acerbissimam cri-
minationem illam, quam Freretus noster in
« Christianæ causæ patronos conjicit univer-
« sos, quos tam gravi torpuisse veterno dicit,
« ut nec de Evangeliorum *adveritatem* probanda,
« nec de argumentis, quæ in eam ipse intor-
« quet, retundendis hactenus cogitaverint.
« Ilane vero censes, vir eruditissime? At
« ego te plane obruerem (absit invidia verbo!)
« si Patrum, theologorum scriptorumque om-
« nium qui hæc adornare spartam, vel sola
« nomina recenserem. Tres hosce tantum ha-
« beto: Augustinum, qui *iv* labente sæculo
« floruit, Tertullianum, qui Severi principis
« tempestate enituit; Irenæum, qui Aposto-
« lica tempora vidit.

« Augustinus *Contra Manichæos* quæstio-
« nem hæc diligentissime versat. Hoc tibi
« unum ex lib. *xxxiii cont. Faustum* speci-
« men esto: « Infelices inimici animæ vestræ,
« quæ unquam litteræ ullum habebunt pon-
« dus auctoritatis, si evangelicæ, si Aposto-

« licæ non habebunt? De quo libro certum
« erit cujus sit; si litteræ, quas apostolorum
« dicit, et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis
« propagata, et per omnes gentes tanta emi-
« nentia declarata, utrum apostolorum sint.
« incertum est? » *Et paucis interjectis*:
« Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis,
« aliorumque hujusmodi auctororum libros,
« unde noverunt homines quod ipsorum
« sint, nisi eadem temporum sibi met suc-
« cedentium contestatione continua? Quis
« igitur tanto furore cæcatur, qui dicat hoc
« mereri non potuisse apostolorum Eccle-
« siam, tam fidam, tam numerosam fratrum
« concordiam, ut eorum scripta fideliter ad
« posteros trajicerentur; cum eorum cathe-
« dras usque ad præsentem episcopos certis-
« sima successione servaverint; cum hoc qua-
« litemunque hominum scriptis, sive extra
« Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facili-
« tate proveniat? » Videtur tibi Augustinus
« controversiam hanc præterisse, criminatio-
« nemve neglexisse tuam? Ipsum adire quis-
« que poterit loco a me notato, ubi eadem
« prorsus via et ratione, qua *ῥῶστος* evangelici
« codicis demonstratur, sophisma illud Fre-
« reti a pseudographis petiit, et a Mani-
« chæis contortum plane retunditur et ever-
« titur.

« Accedat magnum illud Africæ oraculum,
« Tertullianus. Dies me deficeret, si percen-
« sere singula vellem quæ in rem hanc, sive
« in libris *De præscriptionibus*, sive in *Apo-
« logetico*, sive alibi tradit. Me ad *iv contra
« Marcionem* librum convertito, ubi Septimius
« heterodoxum illum Evangelia tria repudian-
« tem, unumque Lucæ, sed fœde a se turpa-
« tum, admittentem mire refellit. Principio
« sic thesin jactat: « Constituimus in primis,
« evangelicum instrumentum apostolos au-
« ctore habere, quibus hoc munus Evange-
« lii prædicandi a Domino sit impositum. »
« Qui id probat? Nervose profecto, ut solet,
« et subtilissime hoc pacto: « Si constat, id
« verius, quod prius; id prius, quod et ab
« initio; id ab initio, quod et ab apostolis;
« pariter utique constabit, id esse ab apo-
« stolis traditum, quod apud Ecclesias apo-
« stolorum fuerit sacrosanctum. Videamus,
« quod lac a Paulo Corinthii hauserint: ad
« quam regulam Galatæ sint correcti: quid
« legant Philippenses, Thessaloniceuses,
« Ephesii: quid etiam Romani de proximo
« sonent, quibus Evangelium et Petrus, et
« Paulus sanguine quoque suo signatum re-

« liquerunt. Dico itaque apud illas (Eccle-
« sias), nec solas jam Apostolicas, sed apud
« universas quæ illis de societate sacramenti
« confœderantur, id Evangelium Lucæ ab
« initio editionis suæ stare, quod cum ma-
« xime tuemur. . . . Marcionis vero Evange-
« lium (gemina dicas de pseudo-evangeliiis
« omnibus quæ obtrudit Freretus) plerisque
« nec totum: nullis autem notum, ut non
« eo damnatum. . . . Eadem auctoritas
« (pergit Tertullianus) Ecclesiarum Aposto-
« licarum cæteris quoque patrocinator Evan-
« gelii; quæ proinde per illas (notate), et
« secundum illas habemus, Joannis, dico,
« et Matthæi; licet et Marcus quod edidit,
« Petro assignetur, cujus interpres Marcus. »
« Hæc Tertullianus, qui dum veterem fundit
« hostem, et recentem profligat: ac iisdem,
« queis postea Augustinus, vestigiis hærens,
« evangelici codicis veritatem ex Apostolica
« repetit traditione: traditionis vero testes,
« et judices Apostolicas Ecclesias, cæterasque
« universas cum his fœderatas esse demon-
« strat.

« Venio tandem ad Irenæum discipulum
« Polycarpi, qui evangelistæ Joannis auditor
« fuit: quo perventum sit intelligitis, audito-
« res: inelytus hic Lugdunensis antistes et
« martyr, rei qua de agimus testis erat au-
« ritus et oculatus. Libro igitur *iii Adversus
« hæreses* cap. 1, postquam ostendit evange-
« listas, jam *indutos supervenientis Spiritus
« sancti virtute ex Alto*, ad scribendum ani-
« mum appulisse, hæc enarrat: « Matthæus in
« Hebræis eorum lingua Scripturam edidit
« Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ
« evangelizarent et fundarent Ecclesiam.
« Post vero horum excessum, Marcus, disci-
« pulus et interpres Petri, et ipse quæ a
« Petro annuntiata erant, per scripta tradi-
« dit. Lucas autem sectator Pauli, quod ab
« illo prædicabatur Evangelium, in libro
« condidit. Postea et Joannes discipulus
« Domini, et qui supra pectus ejus recum-
« bebatur, et ipse edidit Evangelium, Ephesi
« Asiæ commorans. »

« (Hinc sane) nil Evangelio san-
« ctius dici, nil verius posse, ab apostolorum
« ævo ad nostra usque tempora credidit Chri-
« stiana gens: quæ librum illum ipso Deo
« afflante conscriptum, martyrum cruore ob-
« signatum, Patrum testimonio suffultum,
« gentium omnium præconio susceptum, ve-
« lut fidei suæ basim, arcem et munimen-
« tum venerata est. »

SCRIPTURÆ, SEU INSTRUMENTA.

SUMMARIUM.

1. Scripturæ aliæ sunt publicæ, aliæ private. — 2. Scripturæ publicæ quæ sint? — 3. Scripturæ private re lucuntur ad tres species, quæ assignantur. — 4. Apocha quid sit? — 5. Antapocha quid sit? — 6. Syngrapha quid sit? — 7. Liber rationum quid sit? — 8. Epistola quid sit? — 9. Scriptura privata alia est authentica, alia non authentica, et quæ utraque sit? — 10. Scriptura privata redditur authentica pluribus modis, et signanter per subscriptionem propriæ manus ac trium testium adhuc viventium

probatæ fidei, ac bonæ famæ. — 11. Scriptura pri-
vata mortuis testibus subscriptis non facit amplius
plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per no-
tarium, aut sigillo authentico munita. — 12. Item
scriptura privata redditur authentica per apposi-
tionem sigilli authentici majoris magistratus. —
13. Item scriptura privata redditur authentica per
subscriptionem factam manu publici notarii. —
14. Item scriptura privata redditur authentica ra-
tione archivii publici. — 15. Item scriptura privata
redditur authentica per ejus confectionem secun-
dam morum et consuetudinem regionis. — 16.

Scriptura privata, quando negatur esse illius, contra quem producitur, nihil probat, donec oppositum per producentem validis documentis ostendatur. — 17. Scripturam privatam manu cuiuspiam fuisse scriptam, vel de ejus mandato fuisse ab alio conscriptam, vel subscriptam, potest probari per appositionem ipsius proprii sigilli. — 18. Dummodo tamen dolus in appositione sigilli non intervenerit. — 19. Item scriptura propria manu vel de voluntate cuiuspiam fuisse scriptam probari potest per testes, qui præsentibus fuerint; quando pars negans suam scripturam, ipsam scribebat, vel de expressa sua voluntate et mandato ab alio scribebatur. — 20. Item scripturam fuisse ab aliquo scriptam probari potest per comparationem aliarum scripturarum, seu litterarum ab eodem scriptarum. — 21. Verum comparatio litterarum est valde periculosa probatio, et adducitur pro exemplo comparatio testamenti cardinalis Cevæ. — 22. Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum scripturam manu cuiuspiam fuisse factam, sed ad id requiruntur alia adminicula; quæ assignantur. — 23. Scriptura privata confessata regulariter probat plene contra scribentem. — 24. Dantur tamen aliqui casus, in quibus scriptura privata confessata non probat plene. Et signanter in scriptura privata; seu cautione, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti. — 25. Item scriptura

(1. Scripturæ aliæ sunt publicæ et aliæ privatæ. Scripturæ publicæ generatim dicuntur omnes illæ, quæ publicam habent auctoritatem; scripturæ privatæ econtra dicuntur illæ quæ a privatis personis fiunt, nec alias publicam obtinent auctoritatem. Sic in re communis doctorum, arg. cap. *Si scripturam* 1, cap. *Scripta vero* 2, c. *Imputari* 13, et cap. *Si cautio* 14, De fide instrumentor., cum similibus. Authent., *Ad hæc de iis*, cod. *De fide instrumentor.*, l. *Plures*, cod. *De fide instrumentor.*, cum similibus.

(2. Scripturæ publicæ, pro quibus ordinariè intelliguntur *instrumenta publica*, sunt illæ quæ per manum publicam, seu a publico notario legitime et cum debitis solemnitatibus confectæ sunt. Authent., *De instrumentor. cautelis et fide*, § *Sed et si*, collat. 6, cap. *Scripta vero* 2, De fide instrumentor., cum similibus. Sed de his infra.

(3. Scripturæ privatæ reducuntur ad tres species, quarum prima vocatur *apocha*, quæ alio nomine appellatur *chirographum*, et complectitur sub se *antapocham* et *syngrapham*; secunda dicitur *liber rationum*; et tertia *epistola*. Sic Bartolus, in Authent. *At si contractus*, § *Ut igitur*, cod. *De fide instrumentor.*; Jason., in *Repetit.*, l. *Admonendi* n. 87, ff. *De iurejurand.*; Mascard., *De probationib.*, q. 6, n. 26, et alii passim.

(4. *Apocha*, proprie accepta, est scriptura seu chirographum creditoris confitentis de recepta a debitore re sibi debita. Et hæc alio nomine vocatur *quietantia*, de qua fit mentio in l. *Plures* 19, cod. *De fide instrumentor.* Et Glossa, *ibid.*, verb. *Apochis*, sic expresse dicit: « *Apocha* est de receptis, puta, confiteor, me recepisse tantum, et a creditore fit et datur debitori. »

(5. *Antapocha* econtra est de solutis seu datis, et non de receptis uti *apocha*. Et sic

privata plene non probat contra scribentem, si ipse scribens in scriptura fateatur quidem, se accepisse pecuniam ab alio sibi mutuatum, et revera ipsam non receperit; tunc enim si debitor intra biennium opposuerit, tenetur creditor ipse probare consignationem pecuniæ revera fuisse factam dicto debitori. — 26. Sic pariter de dote statutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis. — 27. Scriptura privata non probat regulariter in commodum scribentis. — 28. Dantur tamen aliqui casus, in quibus scriptura privata probat etiam in commodum scribentis. Et signanter quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus. — 29. Et si testes jam fuerint mortui, scriptura subscripta a partibus facit magnam præsumptionem in commodum scribentis seu subscribentis contra alteram partem subscribentem, et si non negetur subscriptio ab altera parte, etiam plene probat. — 30. Item scriptura privata plene probat in commodum scribentis, quando aliunde est authenticata. — 31. Libri rationum plene non probant in commodum scribentis, bene tamen in præjudicium ipsius, seu contra ipsum, ad n. 59. — 40. Instrumentum unde dicatur? — 41. Instrumentum proprie sumptum ut scriptura quid sit? — 42. Instrumentum aliud est publicum, et aliud privatum. — 43. Instrumentum publicum quid sit? — Alia notanda ad n. 126.

antapocha est scriptura debitoris confitentis se tantum, vel tantum solvisse nomine annui v. gr. census seu pensionis, et de hac fit etiam mentio in citat. leg. *Plures* 19, cod. *De fide instrumentor.* juncta citat. Glossa, *ibidem*.

(6. *Syngrapha*, Latine *conscriptio*, est scriptura seu schedula quæ in alicujus rei fidem a pluribus conscribitur, et utrisque partibus tradi solet. Calvinus, in suo magno *Lexico juridico*, tom. II, verb. *Syngrapha*; ubi insuper addidit, quod in hoc *syngraphæ* differunt a tabulis, quod tabulæ ab una parte tantum servari consueverunt.

(7. *Liber rationum* est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis et acceptis sibi conficit. Arg. *Si quis ex argentariis*, § *Rationem*, ff. *De edendo*, juncta Glossa, *ibidem*.

(8. *Epistola* est scriptura privata, quam quis alicui absentis dirigit seu mittit. *Communis*.

(9. Scriptura privata alia est authentica, et alia non authentica. *Scriptura privata authentica* est illa quæ, licet originaliter sit privata, aliquibus tamen adminiculis seu supplementis ac modis roboratur et auctorizatur, adeo ut plenam fidem faciat in iudicio. *Scriptura privata non authentica* econtra est illa quæ caret omnibus adminiculis, supplementis ac modis, sique plenam fidem ac perfectam probationem non facit. Sic in re communis doctorum.

(10. Scriptura privata auctorizatur seu redigitur authentica per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium adhuc viventium probatæ fidei et bonæ famæ. Talis enim solemnitas dat vires publicæ et authentice instrumenti. L. *Scripturas*, cod. *Qui potiores in pignore*, juncta Glossa, *ibidem*, in fine, tradentes hos vulgares versiculos:

Cautio privata jam trino teste notata
Hoc jus est nacla quod cautio publice facta.

(11. Dicitur autem notanter *trium testium adhuc viventium*, quia scriptura privata, mortuis testibus subscriptis, non facit amplius plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per notarium, aut sigillo authentico munita. C. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ibi: « *Scripta authentica*, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari) non videntur nobis alicujus firmitatis robur habere. » Et ibi Glossa, et Summarius, ac doctores communiter, et concordat Authentice. seu Novella 73, tit. 2, cap. *Si vero moriantur omnes testes* 7, collat. 6.

(12. Item scriptura privata authenticatur per appositionem sigilli authentici majoris magistratus, ut episcopi, capituli, principis, civitatis, judicis, seu illius cujus officium est in illo loco publicis sigillationibus præesse, textu expresso in cit. cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ibi: « *Nisi... authenticum sigillum habuerit*, » et Glossa, *ibid.*, verb. *Authentica*, et doctores communiter.

(13. Item scriptura privata authenticatur per subscriptionem factam manu publici notarii, textu expresso in cit. cap. *Scripta*, ibi: « *Nisi per manum publicam facta fuerint*; » secus autem si dictam scripturam confecit aut subscripsit notarius, non ut tabellio, seu ut persona publica, sed ut aliqua alia persona privata; tunc enim scriptura illa non acquireret majorem auctoritatem, quam si fuisset confecta aut subscripta a qualibet alia persona privata. Pax Jordan., tom. III, tit. *De fide instrumentor.*, n. 6, allegans Rotam, decis. 13, num. 4, part. III, novis.; Baldus, in cit. cap. *Scripta*, n. 5, vers. *Sed pone*; Felin., *ibidem*, num. 2; Mascard., *De probatione*, conclus. 131, n. 9, et alii passim.

(14. Item scriptura privata authenticatur ratione archivii publici: pro authentica enim habetur scriptura illa, quæ reperitur fideliter custodita in archivio publico, seu in loco, ubi solent reponi et custodiri scripturæ publicæ. Arg. leg. *Census*, ff. *De probat.*, Authent. *Ad hæc*, cod. *De fide instrum.*, c. *Ad audientiam* 13, § *Nos igitur*, *De præscr.*; Pax Jordan., l. c., n. 11; abbas, in cit. c. *Scripta*, n. 6; Reiffenst., l. c., n. 150 et 151, et alii.

(15. Item scriptura privata authenticatur per ejus confectionem secundum morem et consuetudinem regionis; consuetudo enim habet vim reddendi authenticam scripturam quæ alias non esset talis. Argum. c. *Cum tanto* 11, De consuetudine, cap. *Cum dilectus* 9, De fide instrumentor., ibi: « *Respondemus*, quod si consuetudo illius patriæ obtinet approbata, ut instrumentis illius regionis fides adhibeatur, vos ea secure poteritismittere. » Juncto ejus summario, in quo sic expresse dicitur: « *Consuetudo loci facit instrumentum authenticum*, » Glossa, *ibidem*, verb. *Approbata*; Felinus, *ibid.*, num. 35; Abbas, num. 5 et 6, cum Innocentio et Hostiensi a se citatis; Pax Jordan., l. c., n. 8; Reiff., l. c., n. 153 et seq., et alii passim.

(16. Scriptura privata, v. gr. *apocha*, *antapocha*, *syngrapha*, *epistola*, quando negatur esse illius contra quem producitur, nihil probat, donec oppositum per producentem validis documentis ostendatur. *Communis*, textu expresso in l. *Instrumenta* 3, cod. *De probationib.*, ibi: « *Instrumenta domestica*, seu privata testatio, seu adnotatio, si non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem sola non sufficiunt. » Et concordat textus in cit. cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., ubi Summus Pontifex Alexander III, de similibus scripturis privatis expresse dicit: « *Non videtur nobis alicujus firmitatis robur habere.* »

(17. Scripturam autem privatam manu cuiuspiam fuisse scriptam, vel de ejus voluntate seu mandato fuisse ab alio conscriptam seu subscriptam potest probari per appositionem ipsius proprii sigilli. Appositio enim proprii sigilli denotat consensum et ratihabitionem. Arg. l. *Fidejussor* 26, § 1, ff. *De pignoribus*; Mascard., *De probationib.*, conclus. 330, n. 10, et conclus. 1301, num. 26; Romanus, consil. 303; Reiff., l. c., n. 160, et alii.

(18. Dummodo tamen non intervenerit, quia, eo ostenso, sigillum nihil probaret, cum fraus et dolus nemini debeant patrocinium impartiri. Cap. *Tuæ* 12, De clericis non resident., cap. *Ex litteris* 2, De dolo et contumac., cap. *Sedes* 15, cum similibus. Et id habetur in variis secutis casibus, et signanter in cap. *Tertio loc.* 5, De probationib., ubi sigillum capituli furtive apposuit, cuiusdam instrum. nihil probavit. Item ex l. *Distrahent.*, c. *De reb. alien.*, etc., ubi sigill. uxoris a marito fraudulenter appositum cuidam instrumento venditionis rei dictæ suæ uxoris, nihil ipsi præjudicavit.

(19. Item script. propr. manu, vel de voluntate cuiuspiam fuisse scriptam probari potest per testes adessentes, quando is ipsam scribebat, vel de ejus expressa voluntate et mandato ab alio scribebatur, si postea suam esse neget. Bart., Jason., Masc., *De probat.*, conclus. 110; Reiff., l. c., n. 162, aliique.

(20. Item scripturam fuisse ab aliquo scriptam, probari potest per comparationem aliarum scripturarum seu litterarum ab eodem scriptarum; et si tales scripturæ seu litteræ non habeantur, tunc negans scripturam suam manu scriptam, cogi potest ad scribendum, ut inde fieri possit comparatio litterarum. Sic desumitur ex l. *Comparationes litter.* 20, cod. *De fide instrum.* Et notat Menoch., lib. II *De arbitr. judic.*, cas. 114, n. 11 et 12, cum aliis ibi a se citatis; Reiffenst., l. c., n. 165, et alii.

(21. Verum comparatio litterarum est valde periculosa probatio. Non pauci enim reperuntur, qui alterius manum ita imitantur ac fingunt, ut ipsissima alterius scriptura esse censeatur, et varios tales se vidisse referunt Marsilius, in *Rubric.*, cod. *De probationib.* n. 318; Mascardus, *De probationib.*, conclus. 330, n. 1; Zapsius, lib. II *Sing. respons.*, cap. 23, et alii, et de facto non se-

mel adhuc in dies tales similes reperiuntur. Imo cardinalis Cevæ testamentum ab ipso met perito, qui illud exemplaverat, non fuit recognitum, dum accessit exemplatum et imitatum pro vero testamento, quod notandum est ad effectum parum fidendi simili modo recognoscendi, ut advertit Ansal., in *Addit.* ad decis. 22, n. 33, et refert ac notat Ursaya, in *Miscell. sacr. et prof.*, p. 1, litt. C, n. 128.

(22. Hinc comparatio litterarum de se sola non sufficit ad plene probandum scripturam manu cujuscumque esse factam, sed ad id requiruntur una simul alia adminicula, ut proprii scribentis sigilli appositio, subscriptio testium, auctorum attestatio, quod ipsi met viderint scripturam illam a tali fuisse factam tali die talique loco. Authent. seu Novell. 73, cap. 2. *Si quis 1.* De instrumentor. cautela et fide, collat. 6; Glossa, in Authent. *At si contractus*, verb. *Soli*, et ibi Bartolus, cod. *De fide instrumentor.*; Mascard., cit. conclus. 330, n. 1 et seq.; Menochius, cit. cas. 144 per totum; Reiffenstuel, loc. cit., n. 167, et alii. Unde cautissime debent quoad hoc procedere iudices, rite ac mature omnia examinando et adhibendo alios in arte peritos : ut enim advertitur in Authent. seu Novella 73, in præfatione *De instrumentor. cautela et fide*, ejusdemmet hominis scriptura per vitæ decursum solet mutari, cum non ita quis scribat juvenis, et robustus, ac senex, et forte tremens, et sæpe etiam languor litterarum dissimilitudinem inducat, et calami atque atramenti immutatio similitudinis litterarum per omnia auferat puritatem, ibi : « Litterarum dissimilitudinem sæpe quidem facit, non enim ita quis scribit juvenis, et robustus, ac senex, et forte tremens, sæpe autem, et languor hoc facit, et quidem hoc dicimus, quando calami et atramenti immutatio, similitudinis per omnia auferat puritatem. » Posset nihilominus probatio ex litterarum comparatione desumpta magni ponderis esse, si fieret modis et formis præscriptis a Justiniano in l. 20, cod. *De fide instrument.*, et in Novell. 49, cap. 2. Mandavit enim, ut fieri non possent, nisi ex forensibus publicisque instrumentis, cum aliæ scripturæ non publice confectæ « satis abundeque occasionem criminis falsitatis dare, et in judiciis et in contractibus manifestum sit. Ideoque sancimus non licere comparationes litterarum ex chirographis fieri, nisi trium testium habuerint subscriptiones, » quas duo saltem ex his testibus recognoscant, d. l. 20. Vel etiam ex his litteris, quibus adversarius usus est tanquam subscriptis ab eo, de cujus syngrapha agnoscenda quæritur, denique vel ex privata quidem scriptura, sed ex archivio publico deprompta, ut in cit. Novell. Quid potest ultra desiderari nisi ut hujusmodi leges accurate observentur*?

(23. Scriptura privata confessata regulariter probat plene contra scribentem. L. *Publia Mævia* 26, § final., ff. *Deposit.*, l. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerat. pecun.*

Nulla enim datur major probatio, quam ea quæ fit ex proprii oris confessione, ut tenet communis doctorum cum Rota part. ix, tom. I, decis. 98, n. 4, per text. in cap. *Per tuas* 10, De probationib., l. *Cum te*, cod. *De transact.*, l. *Generaliter*, cod. *De n. pecun.*

(24. Dicitur notanter regulariter, quia scriptura privata confessata in aliquibus casibus non probat plene et signanter in scriptura privata, seu cautione, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti. In tali enim casu, si debitor neget, se revera debere id, quod in tali scriptura continetur, allegando, quod dicta cautio indebite exposita seu data fuerit, nulla inde actio seu obligatio oritur in foro externo, tam ecclesiastico quam civili, sed necesse est quod actor aliunde probet id quod in dicta scriptura continetur, sibi revera deberi tali vel tali causa. *Communis* per textum expressum in l. *Cum de indebito* 25, § 4, ff. *De probationib.*, et cap. *Si cautio* 14, De fide instrumentor., ibi : « Si cautio, quam a te indebite proponis expositam, indeterminate loquatur, adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea. »

(25. Item scriptura privata plene non probat contra scribentem, si ipse scribens in scriptura fateatur quidem, se accepisse pecuniam ab alio sibi mutuam, at revera ipsam non receperit, prout sæpe fieri solet, ut hæc apochæ dentur vel mittantur ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam : tunc enim, si debitor intra biennium a die datæ apochæ seu chirographi opposuerit, tenetur creditor ipse probare numerationem et consignationem pecuniæ revera factam dicto debitori. *Communis* per text. in l. *In contractibus*, et tot. tit. cod. *De non numerata pecunia*. (26. Sicuti pariter in dote statutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis. Cit. l. *In contractibus*, § final., cod. *De non numer. pecun.*, ibi : « Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum est. »

(27. Scriptura privata non probat regulariter in commodum scribentis, textu expresso in leg. *Exemplo* 7, cod. *De probat.*, l. *Inter chartulas* 5, cod. *De conveniendis fisci debitorib.*, et Glossa communiter recepta in cap. *Scripta* 2, verb. *Authentica*, De fide instrumentor.

Uterius etsi in chirographo, quod super aliqua pecunia mihi debita debitor meus confecerit, ego commemorationem fecerim alicujus alterius rei, ad probationem hujus rei, cujus commemorationem feci, chirographum illud idoneum non erit, ut expresse Scævola, in l. 31, ff. *De probat.**

(28. Dicitur autem notanter regulariter, quia dantur aliqui casus, in quibus scriptura privata probat etiam in commodum scribentis, et signanter quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus; in tali enim casu, si testes adhuc vivant, et scripturam recognoscant, habetur plena probatio in commodum scribentis. Colligitur clare argumento a sensu contrario de-

sumpto, ex cap. *Scripta* 2, De fide instrumentor., et tenet communis doctorum, per text. in l. *Scripturas* 11, cod. *Qui potiores in pignore habeantur*.

(29. Et si testes jam fuerint mortui, scriptura subscripta a partibus facit magnam præsumptionem in commodum scribentis seu subscribentis contra alteram partem subscribentem. Et si non negetur subscriptio ab altera parte, etiam plene probat. Arg. cit. l. *Scriptura* 11, cod. *Qui potiores in pignore habeantur*; Mascard., *De probationib.*, conclus. 1301; Bartolus, in Authent. *At si contractus*, cod. *De fide instrument.*; Speculator, tit. *De instrument. edit.*, § *Nunc dicendum*, n. 7; Reiffenstuel, loc. cit., n. 188 et seq. Et quod scriptura privata plene probet in commodum scribentis, seu subscribentis contra alteram partem recognoscentem et confitentem talem suam subscriptionem, habetur ex l. *Publia Mævia* 26, § final., ff. *Deposit.*, l. *Vice donatricis* 20, cod. *De donat.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia*.

(30. Item scriptura privata plene probat in commodum scribentis, quando aliunde est authentica, vel per appositionem sigilli authentici majoris magistratus, vel per subscriptionem publici notarii, vel per asservationem in publico archivio, vel per ejus confessionem secundum morem et consuetudinem regionis, ex dictis et juribus adductis supra n. 12, 13, 14 et 15.

(31. Libri rationum usitati inter mercatores, tutores, curatores ac alios rerum alienarum gestores, seu administratores regulariter plene non probant in commodum scribentis, bene tamen in præjudicium ipsius, seu contra ipsum. Glossa communiter recepta in Clement. unic., § *Cæterum*, verb. *Rationum*, De usuris, et alia Glossa, in l. *Quædam*, § *Nummularios*, vers. *Decernitur*, ff. *De edendo*; Mascard., *De probationib.*, conclus. 977, n. 1, et communis aliorum, per text. in l. *Exemplo* 7, cod. *De probationib.*, leg. *Inter chartulas* 5, cod. *De conveniendis fisci debitoribus*. Libri enim rationum non sunt, nisi scripturæ privatæ, adeoque, sicuti scripturæ privatæ, non probant regulariter in commodum scribentium, ex dictis supra n. 27, ita neque libri rationum; alias si libri rationum plene probarent in commodum scribentium, daretur nimis facilis ansa delinquendi; tum quia instrumenta quoque notariorum, non obstante quod eorum fides sit publica auctoritate comprobata, adhuc tamen non probant in commodum seu favorem scribentis. Leg. *Div. Claudius* 15, ff. *De lege Cornelia de fals.*, leg. *Quæ in testamento* 4, et leg. *Quod adhibitus* 5, cod. *De his qui sibi ascribunt in testamento*.

(32. Secunda autem pars conclusionis, scilicet quod libri rationum probent in præjudicium scribentis seu contra ipsum, colligitur ex leg. *Publia Mævia* 26, § final., ff. *Deposit.*, leg. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et l. *Generaliter* 13, cod. *De non numerata pecunia* : libri enim rationum ha-

bentur tanquam scripturæ privatæ confessatæ, adeoque de ipsis libris discurrendum est, ac de dictis scripturis privatissimis confessatis, ut supra n. 23. Sive tales libri rationum sint scripti propria sua manu, sive manu alterius de ejus voluntate et mandato, cum paria censeantur per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius. L. *Vice donatricis* 20, cod. *De donationib.*, et c. *Qui facit per alium*, 72, De regul. juris in 6. Cum enim mercatores, alique dicti n. antecedenti tales libros retineant ut suos, iisque utantur ut suis, quidquid reperitur in ipsis scriptum, præsumitur scriptum, vel manu sua, vel ab alio de ejus voluntate et mandato, nisi evidenter contrarium probatur. Mascard., *De probationib.*, conclus. 978, num. 9; Jason, in *Repetit.*, l. *Admonendi*, n. 11, ff. *De jurejurando*; Alexander, consil. 245, n. 1 et seq. lib. vi, concludens quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, danda est plena fides contra ipsum creditorem. L. *Quædam* 9, § 2, ff. *De edendo*; et, *ibidem*, Glossa magna, et doctores passim.

(33. Dicitur autem notanter regulariter, quia dantur aliqui casus in quibus libri rationum probant etiam in commodum seu favorem scribentis vel suorum hæredum; et signanter quando adest statutum seu lex specialis, aut legitima specialis consuetudo, quod libris rationum, v. gr. mercatorum detur plena fides in favorem scribentis. Arg. cit. leg. *Quædam* 9, § 2, *De edendo*; cap. *Cum dilectus* 8, et cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; sic Jason cit. *Repet.*, l. *Admonendi* n. 120, ff. *De jurejurando* allegans Paulum de Castro, *ibidem*, col. penult.; Baldum et Alexandrum in d. leg. *Quædam*, § 2, cum aliis; Cravetta, *Tractatum* tom. XVII, tract. *De antiquitat. tempor.*, § *Vidimus et abunde*, n. 2 et seq.; Reiffenstuel, loc. cit., n. 202, et alii referentes, plurimis in locis vigere talem consuetudinem inter mercatores, quod eorum libris detur fides etiam in suum favorem, nisi manifeste convincantur de falsitate.

(34. Item liber rationum defuncti optimæ probitatis et famæ facit pro hærede non solum præsumptionem, sed etiam semiplenam probationem; non enim credibile est quod vir talis probitatis et famæ in periculo mortis, aut scribat librum falsum, aut eum falsa continentem relinquat. Sic Jason, cit. *Repetit.*, l. *Admonendi*, n. 120, post Paulum de Castro, *ibidem*, col. ult. ff. *De jurejurando*; Sigismund. Scaccia, lib. II *De judiciis*, cap. 11, num. 261; Mascard., *De probationib.*, conclus. 977, n. 4 et 6; Reiffenstuel, loco cit., num. 106, et alii.

(35. De se solo tamen liber rationum defuncti non facit plenam probationem, textu expresso in l. *Rationes* 6, cod. *De probationib.*, ibi : « Rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur ad probationem sibi debite quantitatis solas sufficere non posse sæpe rescriptum est. » (36. Plenam autem probationem facit, si concurrant alia adminicula. Arg. l. *Instrumenta* 5, et cit. leg. *Rationes* 6, cod. *De probationib.*, in quarum prima lege